

ens, nec materia, nec forma, nec finis causalitatem suam exercere possit, nisi aliquo posito vel ablato. Imò unum idemque nonnunquam diversarum causarum, quanquam diverso respectu, causa sine quâ non sive conditio potest esse.

§. 12. Demus autem distincta de singulis causis exempla. Sic respectu *Efficientis* indistantia inter agens & passum est causa, sine qua contrariæ qualitates v. g. in igne & aqua, pugnare invicem haud possunt. Οὐτε γὰρ ποιεῖν τῆσδε, καὶ πάσχειν δύναται κυρίως, ἀ μὴ οἷόν τε ἀψαδῶ ἀλλήλων, ait *Philosophus*, i. e. *neg₃ agere, neg₃ pati possunt ea propriè, quæ se mutuo tangere nequeunt.* I. de Gen. c. VI. t. 43. Unde *Gilb. Jacbæus Inst. Phys. l. 3. c. 7.* In omni actionis genere requiritur *mutuus contactus agentis & patientis, non tanquam agendi ratio, sed tanquam conditio sine quâ non.* Indistantiæ opponitur distantia, quæ tamen similiter, tanquam medium necessarium, est causa, sine quâ sensus externi subtiliores non possunt exercere actum sentiendi. Pariter nisi remotæ sint valvæ, Sol non potest illuminare conclave; nec, si vulnus etiamnum pure fordidatum sit, Medicus curare istud valet. Et quæ sunt hujus generis plura.

§. 13. Respectu *materiæ* atque *formæ* patet, prævias alterationes atque dispositiones esse causam, sine quâ nec materia, v. g. in generatione, recipere potest formam, nec hæc illam actuare. Sic, ut iterum hoc utamur exemplo, conclave non potest recipere lumen solis, nisi remotis valvis: nec vulnerato corpori sanitas restitui potest, nisi remotâ purulentiâ. Gemino modo separatio impuri pecoris est causa, sine quâ grex non potest servari incolumis,

Ne mala vicini pecoris contagia ledant?

Aliàs

Grex totus in agris

Unius scabie cadit & porrigine porci?

ut ait *Juv. Sat. II. v. 79. & c.*

§. 14. Quoad *finem* denique *Cognitio* est causa, sine quâ bonum non potest movere appetitum agentis liberi ad illud prosequendum. *Ignoti enim nulla cupido.* Quanquam hîc *Mendoza de anim. disp. XIII. Sect. VI. p. 626.* dissentit à *Svarezio disp. XXIII. sect. VIII. n. VI. sqq. p. 552. seq. & Ant. Ruv. l. II. Phys. c. IIX. q. 5. p. 233. b. sq.* existimans ipsam cognitionem non esse tantum conditionem sine quâ non (in ordine ad actum appetitus, quo fertur in bonum cognitum;) sed esse principium movens impellensque voluntatem ad amorem finis; quæ ipsius ver-

ver-